

1703.

1. Abicht, Dr. Georg : De moralitate homagii regni invasori protesti.
2. Alberti, Ioh. Gottlieb : De jure ecclesiasticum circa temporalia
3. Riegerus, Georgius : De hodierna laborum et curato rum minoribus satorum differentia.
4. Bonick, Benjamin Gottlieb : De donatibus, que finit inter conjuges honoris causa occurrunt (ges 42 ff. d. imitat. int. nr. 3 cT. 42).
5. Fidimus, Daniel : De Zame Phagio, Asti- campano.
6. Guelgias, Georg Christianus : De aequitate iuris Inbecunis.
7. Grotius, Michael Nauri : De p[ro]fessione matris apud sanones nre curatore contractio
8. Grotius, Michael Nauri : De praecordio tertii ex hypotheca res immobiles extrahendi possunt.

1703.

9. Hausschus, Michael Paulus : De punio moralis
10.^oit Hommellius, Dr. Ritter : De eo, quod Directo
num licet, licet tamen per indirectum. 25 auct.

1703 - 1787.

11. Tenuischen, Gottlieb Augustus : De p[ro]cessu videturum.

12. Ichigies, Gottlieb Michael : De clericis foro
seculari.

- 13.^oit Weine, Dr. H[ans] : Reputatio obsequi
imperatorum et sicut M[aximil]an[us] restricta. 25 auct.

1703 - 1756

14. Lange, Martinus : De obligacione delinq[ue]nti
hum[ani] et sustinentes paucos jure et donis
et hum[ani] prescriptis.

- 15 Lange, Martinus : De paucis & conceptibus affini-
bus liberali.

1703.

16. Muenckens, Tuerern : De futuro et curatore
et usuras ex suo debito usurarum obligato.

17. Muenckens, Tuerern : De principe litteris causar
haereticis instituto.

18. Muenckens, Tuerern : De causa proclamacione
sacerdotals.

19. Muenckens, Tuerern : De iuridice vestiti in Iona-
nium.

20. Muenckens, Tuerern : Turis entroveri theorema
practical decas.

21. Muenckens, Tuerern : Vigil disponeatus filii.
pauperes, religiosi protestantium adicti, circa
canonicatum.

22. Henly, Tuerern : De prima imperii iher konig-
nes origine.

23. Mylius, Johes. Nurem : Selectae fori condic
tiones.

B. C. D.

1603,5
Thema Juridicum

DE HODIERNĀ

TUTORUM

ET

CURATORUM

MINORIBUS DATORUM

DIFFERENTIA,

Indultu J^Ctorum Lipsiensium,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO BEYERO, J.U.D.

Præceptore suo observantissime
colendo,

DISPUTATIONE SOLENNI,

Ad D. Junii, M. D. CC. III.

IN AUDITORIO J^CTORUM

horis consuetis ventilandum exponit

AUTOR

GODOFREDUS GÜNTHERUS,

Laub. Lufatus.

LIPSIÆ, Literis JOHANNIS ANDREÆ Zschauens.

1645.

VIRO

*Maxime Reverendo, Amplissimo atque
Excellentissimo*

**DN. JOHANNI
GÜNTHERO,**

S.S. Theologiae Licentiato longe
Celeberrimo,

Collegii B. Mariæ Virginis Collegiato
ET

ad S. Nicolai Diaconomerentissimo,

*Domino, Patrono, atq; Patrueli suo
Æternum devenerando,*

Tenues hæsce.


Laboris Academici primitias

Tanquam

Perpetuum grati animi pignus

Ea, qua par est animi submissione
offert consecratque

GODOFREDUS GÜNTHERUS.



B. C. D.

§. 1.



On hic integrum tutelæ & Curæ materiam excutere , aliorumve , qui ex instituto hoc præstiterunt , scrinia compilare , sed quæ hodie inter tutelam & curam differentiæ supersint , quæque sint diversa tutorum & curatorum jura & officia , indagare animus est . Unde veniam a L. B. spero , si quæ directe huc non faciunt , prætermittam .

§. 2

Tutela , si penitus inspiciatur , non ad jus seu facultatem , sed ad obligationem pertinet . Quam ob rem nihil mihi negotii erit cum definitione §. 1. Inst. de tutel. proposita ; sed puto , tutelam esse officium educandi pupillum , ejusque jura & bona tuendi & administrandi . Huic officio subservit facultas dirigendi actiones pupilli , deque bonis ejus disponendi , prout pupilli utilitas requirit .

§. 3.

Scil. infans perinde homo est , ac adultus , adeoque perinde juris naturæ præceptis munitus , ne ab aliis lædatur , sed ut

A 2 potius

potius omni modo juvetur, quo in membrum societati humanae utile adolescat. Quæ quidem cura jure naturæ parentum esse debet, & mortuo patre ad matrem, atque, ubi & hæc diem obierit, ad avum, aviamque inde ad agnatos proximos transire videtur, cum distinctione tamen: ascendentes ad hoc officium suscipiendum multo arctius tenentur, quam agnati reliqui. Ascendentium quoque in educatione impuberum multo laxior potestas est, quam agnatorum; deficientibus etiam agnatis hoc officium cuilibet ad id subeundem habili incumbit, sed non nisi ex lege charitatis, adeoque ex jure imperfecto. Unde recte *Grotius de J. B. & P. L.* II, c. 22. §. 12. pronunciat: Infantum regimen, cum ipsi jus actionum suarum moderandarum non habeant, occupanti & idoneo a natura concedi conf. Henniges, ad Grot. d. I, p. 933, seq.

§. 4.

Neque adeo in effectu differt patria potestas a regimine tutelari, si a legibus humanis abstrahamus. Quemadmodum enim jure naturæ necessarium non est, ut pater ex bonis, vel operis liberorum acquirat, nisi qua compensationem alimentorum repetit; ita non videtur tutori invidenda modica molestiarum & curarum compensatio. Unde jure Germanorum prisco nullas rationes tutor reddebat, sed sorte, seu patrimonio pupilli, quod sub initium tutelæ acceperat, restituto, redditus interim perceptos, licet sumtus educationis multum superantes lucrabatur. Neque multum discrepat patris & tutoris potestas in personam impuberem, si solum jus naturæ inspiciamus, quia idem utrobius finis eadem media requirit. In eo tamen differentiam agnoscamus, quod tutor pupillum immorigerum facilius derelinquere in statu naturali possit, quam pater filium.

§. 5.

§. 5.

Terminus hujus potestatis jure naturæ definitus non est. Et ratione parentum eousque durare videtur, donec liberi sicut educationis plene obtentum, seque sibi ipsis prospicere de alimentis posse probaverint: Tutelæ vero terminus statuendus videtur, quando pupillus facultate se ipsum regendi, bona que sua administrandi, adeoque judicio maturo gaudere cœpit. Qui terminus pro varietate ingeniorum varius est, nec male parentum dispositioni relinquere debere, dici posset, quod suo tempore moris fuisse Paulus Apostolus innuit, Gal. IV, v. 2. Cœterum gratitudo pro eximio educationis beneficio exigit, ut si pater ante obitum suum terminum tutelæ non definerit, pupillus non temere a tute discedat, quamdiu hic finem tutelæ obtentum esse non concedit.

§. 6.

At in Civitatibus talismodi incertitudo multis litigiis fores aperit, rem publicam non parum turbaturis. Prudenter itaque maluerunt Legislatores certum præfigere terminum ex annorum numero determinandum, quam tot iuriis judicia fervere. Et pro indeole populorum meridionalium & orientalium qui præcocioris ingenii sunt, quatuordecim in masculis, duodecim in foeminis annos sufficere, judicatum est: Quo termino elapsò nemo invitus regimen tutoris vel curatoris pati ulterius tenebatur, nisi certos, eosque paucos actus excipias, quibus peragendis curator adhiberi debebat, vid. Schütz. Comp. Lauterb. de Cnrat. p. m. 481. lit. B. scil. cura jure Romano vel potissimum, vel forte solum bona respicit, neque ex legibus Civilibus, quæ potestatem curatoris in personam minorenem probare debent, firmi aliquid exsculpere hucusque licuit. Unde etiam Interpretibus *Cura* nihil aliud est, quam facultas administrandi bona eorum, qui ob atatem, mentis,

A 3

corpo-

corporisve defectum rebus suis superesse non possunt. Ubi præmonendum est, mihi non nisi de Curatoribus minorum, qui aetate impediuntur, sermonem fore.

§. 7.

Non adeo placuit Germanis ea legislatio, ut non plura hic immutarent, atque non solum omnibus minorenibus, indistincte curatores præponi juberent R. J. de anno 1577. art. 32. sed & passim jus testamenti faciendi, quod ex Nomothesia romana excluso curatoris consensu statim a prima pubertate minoribus competebat, in annum XVI. quin & XIX. prorogarent v. Excellentiss. Dom. Praef. Exercit. Jur. Varii IV. th. 5. Similimodo per leges Atticas substitutio pupillaris vigesimo demum anno liberorum, quibus substituebatur, expirabat. vid. Samuel. Petit. leg. Attic. lib. 6. tit. 6.

§. 8.

Non itaque potuit non magna inter Jus Romanum & Germanicum emergere discrepancia, quæ differentiam tutoris & curatoris fere absorbere videtur. Ita jure Ditmarorum provinciali Art. XIX. nullum differentia inter tutorem & curatorem vestigium Wormunder (prout ipsa verba habent) sollen gegeben werden unmündigen Kindern / Unmündige aber seyn / die unter achtzehn Jahren seyn / &c. vid. Giesebeit. Pericul. statut. Harin. Pract. II. ab init. ad d. art. 19. licet vero in R. J. de anno 1577. art. 32. Wormunder - und Vorsteher / Item: Unmündige / und Minderjährige quoad conceptum ab invicem discernantur; differentia tamen quoad rem ipsam nulla ibi commemoratur. Interim sollicite inculcantur tutoris & curatoris differentia, a plerisque interpretibus; quas brevissimis excutere, & saltim primas justioris tractationis aliquando suscipienda lineas exhibere licebit,

§. 9.

§. 9.

Prima & potissima inter tutorem & curatorem differentia erat, quod Jure Romano tutor invito, curator non nisi volenti datur. §. 2. Inst. de Curat. l. 13. §. f. de tut. & Curat. dat. Quam assertionem dubiam reddere videtur l. 1. §. 3. ff. de minoribus, ubi diserte Ulpianus: *bodie in hanc usque (nempe XXV. annorum) et atem adolescentes curatorum auxilio reguntur, nec anterei sua administratio eis committi debet, quamvis bene rem suam gerentibus.* Item pr. Inst. de Curat. ubi Justinianus minorennes propterea curatorem accipere dicit, quia adhuc ejus aetatis sint, ut sua negotia tueri non possint. Verum Ulpianus de minore curatorem jam habente loquitur; Justinianum vero secum conciliat, & contra Rævardum atque Cujacium defendit Vinnius in Comment. ad §. 2. Inst. de Curat. quem, quia in omnium manibus est, exscribere non vacat. At hodie omnes minorennes, etiam inviti Curatorem accipiunt, per Recessum Imperii 1577. art. 32. verb. *Daß den Pupillen und Minderjährigen Kindern iederzeit bis sie zu ihren vogtbahren Jahren kommen/ Wormünder/ und Vorsteher- gegeben werden.*

§. 10.

Hac vero differentia sublata plures aliae corruunt. Jure Romano tutor testamento datus, confirmatione magistratus non indigebat, sed vi solius testamenti administrationem tuteiae suscipiebat. Nisi vel patria potestas in testatore desiceret, vel testamentum vitio laboraret, quo demum casu ad confirmationem magistratus recurrebatur. Curator vero testamento dari non poterat, quia minorennis invitus ei non subjiciebatur. §. 1. Inst. de Curat. L. 7. inf. C. de Test. tut, quod si tamen testamento datum Curatorem minor sponte acciperet, a magistratu confirmabatur d. §. 1. Inst. atque *unirecte* testamentarius vocabatur. Hodie haec differentia cessat. R. J. sup. alleg. verb.

verb. Vormünder und Vorsteher/ da die iñnen (pupillis & minoribus) von ihren Eltern in Testamenten oder letzten Willen nicht geordnet - gegeben werden. Unde obiter observo, hodie nec patriam potestatem, nec testamentum solenne ad tutelam testamentariam requiri, de quo pluribus egit Excellentissimus Dn. Præses Posit. ff. de Tutelis p. 560. seqq.

§. II.

Jure Romano, si tutor testamentarius deficeret, agnatis proximis, (quod per Nov. 118. etiam ad cognatos extensum est) per ipsam legem tutela deferebatur, qui propterea etiam tutores legitimi vocabantur. At Curator legitimus respectu minorum nullus erat. Tutela enim legitima agnatis deferebatur, ob spem certam successionis l. i. pr. de legit. tut. quæ spes adepta pubertate minoris evanescebat, cum abhinc statim testamentum condere, & patrimonium in extraneum transferre liceret. Unde patet, cur lex curam furiosorum & prodigorum agnatis detulerit; quia nempe illi testamentum durante vitio condere non possunt. Verum & hæc differentia hodie tanti momenti non est, cum legitimus tutor hodie non tam ex jure agnationis, quam ex decreto & jussu magistratus officium & potestatem suam consequatur. Recessus Imperii 1577. art. 32 §. 2. Quemadmodum vero magistratus agnatum probum & habilem ad hoc munus se offerentem non facile repellat; Ita si magistratus agnato invito curam deferat, non erit legitima excusandi causa, quod ei hereditatem sperare non licet, neque considerabitur ut agnatus, sed ut civilis alias, qui munus oblatum recusare, nisi ob alias legitimas causas non potest.

§. 12.

Sponte quoque hinc fluit, tutelam adeptam pubertate quo-
ad effectum non desinere, si pupillum respicias. Olim enim
definebat, quia minor jam ipse res suas administrare poterat.
Neque

Neque ergo videmus minorem, ejusve bona hodie alio modo
tractari post annum XIV. quam paulo ante, sed curator perin-
de vocatur *Vormund*/ & minorem non magis admittere te-
netur ad negotia , quam durante aetate pupillari. Quæ omnia
secus jure Romano , ibi enim Curator a minore sponte electus
non poterat tantum sibi autoritatis in minorem arrogare, quam
tutor , pupillo invito præpositus. Coeterum, quod hodie tu-
tela adepta pubertate desinat, hoc solum Tutoris favorem re-
spicit, qui rationes offerre ac petere potest, ut aliis adolescenti
curator præficiatur. Carpz. P. 2. Const. XI. def. 10.

§. 13.

Inde ulterius conficitur, non adeo ad Leges Romanas re-
spiciendum esse in quæstione: an minorenis ad factum mere
personale , quod ad causam bonorum non attinet, valide se
obstringere possit sine consensu curаторis. Quemadmodum
enim plures hodie provinciæ matrimonium sine curatoriai cons-
ensu non permittunt, ita educationem lapsu anni XIV. non
penes omnes æque cessare in comperto est. Itaque nullus
dubito, quin curator intercedere possit, si adolescentis itineri-
bus inutilibus alieno licet sumtu, institutis, tempus inutiliter
consumere; negotiis ludicris operam dare; vel puella annum
XII, supergressa conversationibus & institutis non illicitis qui-
dem, attamen indecoris, & sinistram suspicionem præbenti-
bus indulgere velit. Et, si quæ jure Romano fuit differentia,
ea tum ob rationem cessantem, tum per R. Imp. 1577. art. 32. §.
3. verb. Seinen Pflege- Kindern und ihren Gütern getreu-
lich und ehrlich vorseyn / ihre Personen und Güter versehen
und verwahren / desissse videtur. Unde concludo, non mi-
norem curatoriai in adultum, quam tutoris in pupillum hodie
potestatem esse; nisi adultus tam prudenter actiones suas mo-
derari incipiat, ut alienum regimen supervacuum sit.

(B)

§. 14.

§. 14.

Inter autoritatem tutoris & consensum curatoris magna erat Jure Romano differentia. Nempe Autoritas in ipso negotio i. e. in fine contractus, antequam partes ad alia negotia digrederentur, interponenda erat, quia ad integrandum negotium pertinere credebatur. At curatoris consensus ex intervallo, & absente alterutro contrahentium interpositus non minus valebat, ac in continenti adjectus. Circa quam differentiam varia monenda sunt. (1.) Autoritatis interpositio hodie non prohibita quidem, inusitata tamen est, quia non amplius est necessaria, & in se tamen ludicra; rem vero ludicram citra necessitatem suscipere, non est hominis prudentis (2.) Autoritas illa si quæ hodie supersit, ut in continenti accedat, necesse non est, & post temporis intervallum subsecuta tutoris rati habitio, si non autoritati, administrationi tamen accenseri potest, quod jure Romano non poterat, quia alteri, qui fari posset, jus per alterum acquiri, vel obligatio imponi non poterat. §. 18. Inst. de util. Stipul. adeoque (3.) pupillus quidem nec hodie sine tutoris consensu obligationem suscipere potest. Potest vero tutor eam pupillo ignoranti & absenti imponere. Ex quibus patet, nullam hodie inter autoritatem tutoris, consensum curatoris superesse differentiam.

§. 15.

Superest quæstio, an non in eo saltem differentia supersit, quod gesta a pupillo sine tutori sint ipso jure nulla; gesta vero minoris sine curatore, per se subsistant, remedio restitutio nis in integrum demum rescindenda. Sed neque hic discrepancy evincitur. Nolo omnibus subtilitatibus, quæ aliquando hic præter necessitatem finguntur, involvi, sufficit tex tus clarus l. 3. C. de in integr. restitut. minor, ubi contractus a minore curatorem habente sine curatoris consensu initus servari non oportere (i. e. nullus & irritus esse debere) at a curator em

rem non habente celebratus implorata in integrum restitutio-
rescindendus dicitur. Cum itaque omnes minorennes hodie
curatorem habere debeant; quicquid sine eo gesserint, quo
deterior ipsorum conditio redditur, ipso jure, etiam per Le-
ges Romanas nullum erit. Quia in parte similis eorum cum pu-
pillis est conditio.

§. 16.

Mater & reliqui cognati successionem sperantes tutorem
petere tenebantur sub poena amittendae hereditatis, si (1.) pu-
pillus intrapubertatem decesserit (2.) persona, quae petere
debebat, maiorennis sit (3.) petitio intra annum non facta, nec
(4.) tutor testamentarius vel legitimus adsit, ipsave mater tu-
trix esse nolit, aut susceppta tutela ad secunda vota transcat.
Alias declarationes & limitationes vid, in l. 2. §. 23-47. ff. ad
SCtum Tertull. add. l. 10. C. de legit. hered. tot. tit. ff. qui pet. tut.
ubi vid. DD. conf. Illust. Stryck. de success. ab intest. Diff. XII.
c. 3. §. 4-12. At curatorem petere non tenentur, quia, toties
inculcatur, Curatorem minori non dari, nisi ipse petie-
rit. Nisi tamen furioso curator petendus sit, aut minor alias
curatore opus habeat. Stryck. d. l. §. 10. d. l. 2. Cum itaque per
supra dicta minor hodie semper curatore opus habeat, puto,
& hanc differentiam cessare. Non obstante, quod lex poena-
lis tanquam odiosa, minime extendenda sit; nam extensionis
licentiam ostendit textus ipse §. 29. 30. 31. 40. d. l. 2.

§. 17.

Sed dispiciendum, an neglecta petitioni hodie unquam
poena amittendae hereditatis immineat. In Saxonia Electo-
rali eam observari certum est Carpz. P. Const. XI. def. 15. ubi
hanc in rem præjudicium subjungit. At in Belgio & Gallia
contrarium observant Wissembach. Comment. ff. h.t. th. 21.
Grœnevveg. de LL. abrog. ad l. 8. C. de legit. hered. Leeuvv.
Censur. forensi. Lib. I. c. 16. §. 10. neq; contemnenda suppetit

B 2

dispa-

disparitatis ratio inter jus Romanum & hodiernum , quod illo
jure magistratus ex officio tutorem constituere posset quidem
l. 6. C. qui dar. tut. at non teneretur , adeoque magis periclitata
retur pupillus ac hodie . Neque enim solebant magistratus in
quirere , an tutor testamentarius , an legitimus adeslet , quorum
uterque vis solius testamenti vel agnationis sine confirmatione
judicis officium regulariter suscipiebat . At hodie magistrati
bus tutorem dare non licet solum , sed omnino incumbit , & so-
let in bene constitutis rebus publicis quoties paterfamilias diem
obiit , statim inquire , an pupillos vel minorennes reliquerit ,
quo casu magistratus ipse dispicit de tute , nisi testamentarius
vel legitimus confirmatione dignus inveniatur . Quemadmo-
dum hic Lipsiae ex ordinatione Ampliss. Senatus denen^o Viertels-
Meistern in der Stadt / und denen^o Gassen- Meistern in Vor-
städten / incumbit , ut si quis pupilos reliquerit , id quantocuyus
Deputatorum collegio denuncient .

§. 18.

Ea quoque affertur ex Jure Romano differentia , quod ,
quicunque actus solennitatem juris desiderant , quales sunt
omnes actus legitimi v. g. hereditatis aditio &c. vid. L. 177. de
R. J. ibique Wissembach in Comment. ff. autoritate quidem tutoris ,
non vero consensu curatoris perfici recte possint , l. 19. ff. de au-
tor. tutor. l. 17. ff. de Appell. Sed uttaceam , allegatos textus de
curatore impuberis loqui , & minori tutorem dari non posse ,
adeoque dicendum fore , (quod etiam voluit Cujacius) heredita-
tem a pubere adiri sine curatore posse . vid. Colleg. Jur. Ar-
gent. de Acq. vel omitt. hered. §. 6. n. VI. Solennitas legis
actionum seu actuum legitimorum hodie nulla est . Atque
adeo Consensus curatoris ad hereditatem a minore adeundam
hodie requiritur , & sufficit . Consequenter nulla inter auto-
ritatem tutoris , & curatoris consensum differentia supereft . vid.
Hofp. Comment. ad pr. Inst. de Autor. Tutor. in usu hod.

§. 19.

§. 19.

Ratione actionis insignem inter actionem tutelæ, & utili-
lem curationis Causa actionem commendat differentiam Me-
jer. in Colleg. Jur. Argent. ad ff. tit. de Tutel. & rat. distrah.
§. 37. quod actio tutelæ nunquam detur, nisi finita tutela, actio
curationis, vero durante administratione curationis. l. 26.
ff. de admin. & peric. tutor. l. 4. §. 3 + l. 16. §. 1. ff.
de tutel. & rat. distrah. & passim alibi. Sed scrupulum injicie-
bat l. 14. C. de admin. tutor. ubi manifestum esse dicitur, rationes
curæ administratæ ante impletum XXV, annum durante officio
posci jure non posse. Ut itaque dissensum tollant interpretes
malunt actionem generalem curationis durante administra-
tione non dari; dari vero specialem, qua reformatur id, quod
certa in re peccatum aut neglectum est. vid. Mejer. d. l. Sed eo
ipso ostenditur, hanc hodie differentiam cessare, quia & actio
tutelæ ob specialia negotia durante administratione datur. Rec.
Imp. 1577. §. 32. ubi tutor quotannis non modo requirente ma-
gistratu rationes reddere, sed & easdem sponte offerre jube-
tur; quæ deinde agnatis communicantur, monita eorum au-
diuntur, & tutori, ut ad defectus objectos respondeat, injungitur.

§. 20.

Non puto, fore, qui eam differentiam aucupentur, quod
actio tutelæ directa; curationis vero utilis sit. Iis enim re-
spondet Paulus, subtilitatum alias Patronus maximus in l. 47.
ff. de Neg. gest.

§. 21.

Ecce ergo potissimas, & quæ effectum respiciunt, tutorum
& curatorum differentias hodie inanes. Videbimus jam eas
quæ hodieque supersunt. Ubi cogitandum (1.) annon pro-
pterea supersint, quod rem non tangant, sed in solo conceptu
subsistant, adeoque homo prudens in verbis facile condescen-
dat, nec logomachiis occupetur. (2.) has differentias non cu-
rato

ratorem hominis minorennes , & sui juris respicere , sed filii familias vel pupilli , vel majorennes , sed alio corporis vel mentis defectu laborantis.

§. 22.

Huc itaque spectat (I.) quod tutor ad certam causam dari non possit ; possit vero dari curator . Scil . quia vocabulum tutoris , universale pupilli & rerum ejus moderamen indigit ; qua hypothesi admissa per rerum naturam fieri non potest , ut hæc differentia cesseat . Quamvis vero minime peccatum fuisset , sitalem curatorem nomine tutoris specialis insigniri placuisse , (prout simili modo procurator vel generalis vel specialis esse dicitur) ita non est , cur terminos reformemus . Interim observo , talismodi curatorem specialem plerumque pupillis dari adeoque ad scopum nostrum non pertinere ; Cœterum si puberibus detur , etiam a curatore generali non minus ac a tutori differre .

§. 23.

(II.) Tutorem habenti tutor non datur ; at tutorem vel curatorem habenti recte datur curator . Mordicus inhæretur huic regulæ §. 5. Inst. de Curat. propositæ , quæ tamen nec jure Romano satis certa , nec hodie multum utilis est . Age enim dicamus : pupillo , qui ita tutorem habet , ut actu administret , tutor dari non potest , (quam limitationem urgent Hopp. ad §. 5. Inst. de Curat. & plures alii .) Nondum tamen Universalitas regulæ evincitur . Quodsi enim tutor ratione bonorum in diversis territoriis sitorum se excuset , alias tutor iis bonis danus est . 1. 21. §. 2. & 4. ff. de Excus. Jam cogita de fundamento regulæ , cur tutorem habenti tutor dari non possit , quod tutor detur personæ pupilli , quæ individua est ; vel quod lex saltem tutorem dari velit ubi tutor non est . Aperte enim hic tutor tutorem habenti , & quidem non personæ , sed rebus datur . quod Ictissimus Huberus Disp. Fundam. ad Institut.

XXIV.

XXIV. th. 11-15. sufficienter excusare non potuit, cum semper dici queat, in uno, alterove negotio speciali, cui tutor primus superesse non potest, tutorem alium dari pupillo hac in re tuto rem non habenti, adeoque nunquam curatorem dandum fore. Et cur bonis pupilli alibi sitis non curator; sed tutor dat us? quia, inquit Hopp. *Comment. ad §. 5. Inst. de Curat.* bona pupilli melius per alium tuto rem, quam curatorem possunt administrari, cum aliquando hereditas sit adeunda: Hodie vero adiri hereditas tam consensu curatoris, quam per literas auctore tute re absente potest, & forte tempore Justiniani potuit, ut alius tutor hic minime sit necessarius. Reliqua Exempla Hubero allegata non attingo, cum haec tenus dicta ostendant, subtilitatem istam hodie exigui usus esse.

§. 24.

(III.) Tutor non datur, nisi homini sui juris; curato rali quando etiam filiofamilias ad peculiam adventitium extraordinarium administrandum, verum & haec differentia solum nomen respicit, & quatenus de curatore impuberis, non minoris agit, institutum nostrum non tangit.

§. 25.

(IV.) Tutoris potestas terminum pubertatis nunquam excedit; sed curatoris potestas terminum majorenitatis aliquando egreditur, v. g. si adultus ad prodigalitatem inclinet. At hic quoad prius monendum est, tutelam multis in locis hodie pubertate non finiri Hopp. *ad pr. Inst. quibus mod. tutel. finit. in us. bod.* qua de re jam supra dictum est. Deinde eodem jure, quo tutela a cura minorum differre dicitur, curam prodigi etiam a cura minoris differre asserri potest.

§. 26.

(V.) Tutoris officium ante pubertatem nunquam finitur; finitur vero aliquando cura ob intercedentem veniae attatis impetrationem, vid. tot. tit. C. de his, qui ven. atat. impetr.

Ita

Ita est, etiam hodie. At differentia non venit ex conditione
seu natura curationis, sed ex singulari habilitate & prudentia
minoris. Neque juri communi tribuitur, sed dispensationi
summi Principis, quæ etiani obtineret intuitu tutelæ, si pupil-
lus præcocius judicii daretur.

§. 27.

An itaque nulla superest differentia quoad effectum?
Vereor ne id fateri oporteat. Et superest quidem aliqua, sed
quæ termino anni XII. vel X. V. non adstringitur. Solet nem-
pe, postquam corpus hominis ad robur aliquod pervenit, judi-
cium aliquale emicare, quod quidem indies crescit, sed incon-
sulto juvenæ impetu impeditur, qui vehemens & parum pro-
vidus atatem istam incautam, in spem quamcumque pronam, in
promissa facilem, liberalitatis famam captantem, in amicitias
ambitione colendas pronam, ac diffidere nesciam reddit, quam
in contrahendis obligationibus prudentiorum autoritatem se-
qui par est. Terminus itaque tutelæ constituendus foret eo
tempore, quo minor negotia civilia satis intelligere coepit;
quod in foeminis anno 15. vel 16. in masculis anno 17. vel 18.
contingere experientia docet; Terminus vero curæ statuen-
dus foret eo tempore, quo incautus iste impetus deferbusse de-
prehenditur, ubi prudenter finis anni 25. Romanis placuit.
Atque ita tutor positive procedere deberet, jubendo ac impe-
rando; curator magis remotive, prohibendo & impediendo.

§. 28.

Verum & iis non adeo strictos cancellos ponere licebit.
Sunt minorennes etiam annum XVII. supergressi, quos coër-
cere a rebus turpibus aut noxiis non sufficit, sed qui stimulo ad
bonum, opus habent. Sunt, qui via laudabili coëptæ non in-
sistunt, sed vel pedem retrahunt, vel in devia declinant, ubi se
non amplius urgeri sentiunt. Atque adeo præstat, differentias
tutoris & curatoris non adeo urgere, quam minoribus liberta-
tem

tem ratione personæ & factorum , quæ causam bonorum non habent, omnimodarē indulgere. Præstat, in uam, legislationem Romanam paulisper seponere, quippe quam ementatione opus habere ipsi Romani agnoverunt, & si omnibus numeris absoluta foret, diversus tamen gentis Germanicæ genius recipere sine incommodo non posset.

§. 29.

Scilicet Curatores initio apud Romanos ignorabantur, usque dum lege Iatoria adolescentibus furiosis & prodigiis (scil. non *nat' εξοχὴν* talibus, sed ingenii hebetioris vel vitæ dissolutioris) causa cognita darentur. Quod, cum famæ eorum, quibus Curator dabatur, detraheret, M. Antoninus statuit, ut omnes adulti curatores acciperent non redditis causis, i. e. ut remissa necessitate allegandi & probandi causas, adeoque sine periculo existimationis curatores, si vellent, accipere possint. Unde videmus, Romanos ipsos jura prisca hac in re correxisse, & vel maxime in eo, quod terminum pubertatis soepe ad annum XIIIX. prorogarent §. 5. & 7. Inst. qui ex quibus causis manumitt. non poss. ubi vid. Vinn. conf. l. 49. §. 1. de adopt. l. 14. §. 1. de aliment. vel cibar. legat. qui textus multam meditandi, ac de incertitudine termini pubertatis genuini, dicendi materiam suppeditant, sed alii occasione reservandam.

§. 30.

Nec est, quod quis dicat, causas diversas facere, ut hic terminus quoque variet; nam materia adoptionis supponebat solum generandi facultatem, & ut adoptans per natu-

C

ram

ram pater adoptandi esse posse, qui jus paternitatis ex lege expectat; & hic nihilominus octodecim annis praecedere adoptandum debebat. Cur non quindecim? Procuratoris munus non meliorem requirebat rerum gerendarum aptitudinem, quam rerum propriarum administratio, & præterea alieno periculo suscipiebatur, cur ergo septendecim annos requirebat, non quatuordecim?

§. 31.

Sed neque poterant hæc a Germanis recipi, ubi sera juvenum venus, teste Tacito, clima paulo frigidius, cibus & potus, spiritibus excitandis non adeo aptus, tardiorem sed in exhaustam generandi facultatem producebat, neque pueros ad negotia Civilia admissos ullibi legimus.

§. 32.

Satis hæc omnia confirmat Jus Alemannicum, quod non solos Suevos, vel Alemanno, sed universam Germaniam, prout sub potestate Imperatorum erat, respexisse Schilterus in prefat. Comment. ad Jus feud. Alemann. luculenter evincit. Ita vero jus provinc. Alemann. cap. 318. Nun sollen wir sprechen also von denen/ die über vierzehn Jahre sind. Die sollen Pfleger haben bis auff fünff und zwanzig Jahre/ was die thun mit ihren Pflegern/ das sol stat seyn. Dann sie sind dennoch so witzig nicht / dass sie sich bewahren können/ davon muss es an der Pfleger Treu stehen. Et cap. 316. §. 5. & 6. Wenn das Kind zu vierzehn Jahren kommt/ es nimmet ihm wol einen andren Pfleger/ er habe ihm wohl/ oder übel gethan. Und soll den nehmen nach seiner weisen Freunde

Freunde Rath. Wil er nach Muthwillen wehlen / das soll ihm der Richter nicht gestatten/ und seine Freunde sollen ihm den ersten lassen/ ob er ihm hat wohl gethan. Ein ieglicher Jüngling sol Pfleger haben/ bis er fünff und zwanzig Jahr alt wird/ dieweil sol er nichts thun/ ohne seinen Pfleger mit seinem Rath. Porro c. 321. §. 3. Dieweil der Jüngling unter fünff und zwanzig Jahren ist / so soll er Pfleger haben/ die aber ungerathen sind/ und die nicht Wiz haben / und unsinnige Leute sind/ die sollen Pfleger haben bis an ihren Tod atque iterum cap. 323. §. 2. Dieses Recht haben auch die Weysen gegenihren Pflegern: Wenn ein Mann kommt zu achtzehn Jahren/ so hat er seine volle Tage. Wil er / so mag er sein wol entbehren. Aber König Carl hat gesetzet: Er sol Pfleger haben bis auff fünff und zwanzig Jahr.

§. 33.

Ultimus hic locus conjecturam suppeditat, annon terminus minorenitatis ex moribus Gentium Germanicarum & vicinarum fuerit annus XIIX. quem loca bene multa hodie que obseruant, Carolus M. vero Jus Romanum secutus annos XXV. statuerit. At Saxones ad testificandam Autonomiam suam in honorem novæ legis prisco numero aliquid addiderint quidem, sed ad plenum annorum XXV. numerum ascendere non voluerint, adeoque annum XXI, completum elegerint. In cuius conjecturæ fundamentum alia vice pleniū inquiram. At, inquis, frustra fuisset primam pubertatem a plena quæ cum majorenitate eadem erat, distingue re? Resp. Usum hæc distinctio præbebat in materia delictorum, & forte in aliis. vid. Jus Provinc. Alemann. cap. 148.

C 2

§. 34.

§. 34.

Sed quid faciendum Juri Saxonico communi , ubi
Lands-R. lib. 1. art. 42. hæc legimus: Vor seinen Tagen und
nach seinen Jahren mag ein Mann wol Vormunden ha-
ben/ ob er es bedarf / und mag auch ihrer wol entbehren/
ob er will. Inte antecessum notamus^c hen seinen Jahren
seyn/ vel: zu seinen Jahren kommen seyn/ idem esse, ac
pubertatem attigisse, zu seinen Tagen kommen vero ma-
jorennitatem denotat. Demum über seine Tage/ oder
über seine Jahre kommen / significat annum sexagesimum
impleuisse. Adeoque vor seinen Tagen und nach seinen
Jahren est durante minorenitate, & post exactum annum
sexa gesimum. conf. Land-R. lib. 2. art. 33. d. art. 42. lib. 1.
Sächs.-R. Lehn cap. 26. qua ætate liberum esse dicitur, cura-
torem habere, vel eo carere. Quæ dispositio plane cum
Jure Romano convenient.

§. 35.

Similis dispositio habetur in Sächs. Lehn-R. cap. 26.
Der unmündigen Kinder Jahr-Zeit Leben zu empfan-
gen sind dreyzehn Jahre/ und sechs Wochen; Doch müs-
sen sie hernach Vormunder haben/ wenn sie jemand um
ihre Lehen ansprechen wil / alldieweil sie zu ihren Tagen
noch nicht kommen seyn/ das ist/ zu 21. Jahren/ so müssen
sie denn wol Vormunder haben / einen andern Mann/
der ihres Herren ist/ der sie zu Lehn-Recht/ oder sonst ver-
thendige/ und vertrete. Ecce iterum dispositionem cum
Jure Romano convenientem ; Minor curatore opus habet
quo-

quoties in judicio aliquid agit 1. 2. C. qui legit. pers. stand. in
jud. Sed multo generalior est dispositio in Sächs. Land-R.
lib. 1. art. 23. Obwol ein Kind zu seinen Jahren zu Lehns-
Recht kommen ist/ sein rechter Vormund soll ihm doch an
seinem Gute vorstehen zu seinem Gewerb/ und seinem
Herren an des Kindes statt nach desselben Recht dienen/
diemweil es ihn selbst nicht erkennen kan / seiner Thorheit
oder Kindheit halber / oder wegen Unkrafft seines
Leibes. Quomodounque hic textus explicetur, arbit-
rium, habendi curatorem, nec ne, evertit. Sive enim per
Sein Gute/intelligas feudalia; ratio differentia alleganda
erat, cur administratio eorum, majoris momenti sit, quam
allodialium; sive allodialia intelligas, necessitas curatoris
generalis erit. Neque dici potest, haec ita se habere, donec
quoad allodialia pubertatem consequatur. Quemadmo-
dum enim administratio bonorum cum præstatione servi-
tiorum plane conjungitur, ut diversum quid haud temere sta-
tuendum sit; ita rationes subjunctæ tales sunt, quæ post an-
num XIV. procul dubio nondum cessant,

§. 36.

Brevibus itaque conjecturam expono, quam ipsi tex-
tus utrinque collati suppeditant: Viderat Compilator Juris
Saxonici, olim post annum XIIX. tutelam finiri. Videbat
vero Jure Romano finita tutela curam inchoare, nec nisi ver-
gente anno XXV. desinere. Hunc terminum posteriorem
videbat Jure Saxonico esse coarctatum; tanto itaque facilius
condescendebat in Juris Romani pubertatem post annum
XIV. inchoantis placita, forte in Saxonia jam dum recepta;

C 3

Sed

Sed &, quæ olim XIIII. annis competebat, immunitatem à
cura aliena, annis XIV. attribuebat; magis ex æquitatis præ-
tensiæ conceptu, quam ex Jure Romano. Cum enim semel
ea opinione præoccupatus esset, quasi aliud esse oporteat pu-
bertatis, aliud majorenitatis initium; creditur forte, majo-
res suos, utpote homines simpliciores terminum pubertatis
longius produxisse, nec prudenter satis eo exacto facultatem res
suis pro lubitū gerendi juvenibus sine distinctione reliquisse.
Itaque, ut ubivis æquitati satisfaceret, videtur arbitrio mino-
rum reliquisse, curatorem adsciscere, an ipsi rebus suis soli su-
peresse malint, ubi tamen cognatorum judicium, quod & ali-
bi soepe requiritur, non exclusisse videtur. Quod si quis
malit, Eikium illum Ribikovium hac in parte solum ad Jus
Romanum respexisse, in re incerta non adeo repugno, quam-
vis nec adeo assensum præstare queam,

§. 37.

Nevero quis mihi objiciat, Eikium vel Ecconem il-
lum non meditationes proprias, aut somnia nobis reliquisse;
Sed leges & mores in Saxonia aeo suo receptos, quod ipse in
præfatione speculi Saxonici testatur:

Dish Recht hab ich selbst nicht erdacht/
Es habens vor Alters auff uns bracht/
Unsre gute Vorfahren;
Mag ich auch / ich wils bewahren ic.

Ei respondent centum ipsius speculi Saxonici loca, sa-
tis ostendentia, cum non nihil sibi autoritatis in Jure illo ad
suos

suode æquitateconceptus, vel ad Juris Romani rationem inflectendo sumfisse; quod ipse in præfatione hic illic subtimide indicasse videtur.

Cœterum nobis sufficit, scrupulos illos jam dudum non amplius attendi, ut optimum Juris Saxonici interpretem, Colerum Decis. XI. n. 16. rem totam apposite & succinēte decidere: De consuetudine quoad hoc, ut tutelæ officium dicatur finiri, requiruntur XXI. anni, & medio tempore Tutor primus tam curam, quam tutelam sui pupilli sustinet. add. Leeuvv. Censur. forens. P. I. L. 1, c 16. n. 1. & 2.

§. 38.

Ita vero omnia, quæ Magnif. Hopp. ad §. 2. Inst. de Curat. in us. hod. objecit, remota videntur, nisi quod vel binis verbis monendum sit, in responso JCTorum Jenensium differentiam illam, quod Curator principaliter bonis, tutor personæ detur, non esse ipsam decisionem, sed Hypothesin ex Jure Romano de proptam, quarum sœpe plures in Responsis hodiernis afferuntur, quæ ad justum examen revocatae non nihil dubii relinquunt

§. 39.

Te vero, Benevole Lector, enixe cõtendo, ut theses hasce tumultuarias æqui, bonique cõsulas, & primitiis studiorum qualibus qualibus faveas. — Dabit cum Deo meliora dies, & hæc ipsa materia forte aliquando plenius elaboranda suscipietur. Interim pauca hæ paginæ ventilationi academicae sufficient, ubi non quam plene, sed quam vere quid dictum sit, quæritur,

Corol-

Corollaria.

1.

Tutela materna iu feudis non admittitur.

2.

Tutela testamentaria Electoralis non obstante
Aurea Bulla legitimæ est præferenda.

3.

In regno libero, si Rex tutorem non constituerit,
penes populum est electio.

4.

Origo curæ magis consuetudini, quam expre-
sæ legis dispositioni tribui videtur.

5.

Actionum præjudicialium, nisi forte sint crimi-
nales, nullus hodie videtur esse usus.




vol 18

ULB Halle
005 362 261



3

Sb



1603.5

1645.

C. D.
Juridicum
DIERNA
ORUM
ET
TORUM
S DATORUM
ENTIA,
um Lipsiensium,
SIDE
BEYERO, J.U.D.
obseruantissime
ndo,
NE SOLENNI,
o, M.D. CC. III.
IO FACTORUM
ntilandum exponit
TOR
S GÜNTHERUS,
Lusatus.
NIS ANDREÆ Zschauens.